



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem, ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

2. In libertate arbitrij imago Dei, ideo inamissibilis. Quaedam de naturali possibilitate boni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

Fol. 123.

Et iterum alibi: *Ut enim ipsa verba iungamus* ^A quod liberatur captivum est, quod captivum est, liberum non est, quod liberum est, captivum non est. Ecce quam capitalem inimicitiam inter libertatem arbitrij & captivitatem in bono, aut in malo esse docet. Et insultans propter illam contradictionem manifestam Augustino, duo ipsa que iungit, ait, liberum & non liberum est, id est, liberum & captivum, illi quidem rei de qua agitur (libero arbitrio) convenire non possunt. Tibi vero stultitiam singularem, impudentiam novam, impietatem veterem (Manicheorum significationem vult) adesse testantur. De qua necessitate vide plura ubi de peccati definitione tractavi.

Epist. ad Demetr.

Hanc autem necessitatem subinde coactionem vocat. Non enim tam intelligit coactionem proprie dictam quæ fit renitente voluntate, quam illam ad unam partem additionem, sive captivitatem, qua liberum arbitrium non nisi bonum, vel non nisi malum velle posse diceretur; sive voluntate sua reniteretur, sive non. Nam Pelagius: *Quem tantum*, inquit, *iusiurie executorem Dominus voluntarium esse voluit non coactum*: Et ideo reliquit in manu consilij sui. Et ne quis hæretet quid coactio sibi in voluntate vellet, facem ipse prætulit: *Providendum est ne ideo non vere bonum factum hominem putes, quia is facere malum potest, nec ipsa natura violentia adstringatur ad immutabilis boni necessitatem*. Vbi omnia confundens & naturam, & violentiam, & alstrictionem, & necessitatem, & immutabilitatem actionis bonæ, satis superque docet hoc se vocare coactionem, quæ ad unam sive boni sive mali partem affigit, ita ut ad contrarium, ut ipse latius adducit, transire non possit. Cui consentit in eadem intelligentia Iulianus. Nam quodam loco: *Vos*, inquit, *divertis Catholicam hanc fidem esse, ut liberum con-* ^B

Lib. 2. operis imperf. cont. Ant. fol. 215.

struat arbitrium, sed per quod homo malum facere cogatur, & bonum velle non possit. Vbi bonum velle non posse, est idem quod cogi malum facere. Quod alibi sepe vocat necessitatem mali: alibi, in peccatum carnis sua necessitate cogi. Alibi permittet omnia, coactionem, necessitatem, naturam, & unum tantum posse: *Si*, ait, *libertas arbitrij primo est eversa peccato, & in omni deinceps hominum genere, manca adeo remansit, ut non sit ei possibile nisi tantummodo malum facere, non hoc habeat in facultate electionem partem alterius, id est recedere à malo & facere bonum, sed iniquitatis necessitate depressa appetentia criminum parere compellatur: Si facta sunt naturalia qua fuerant voluntaria*. Et quodam loco exponens id quod reprehenderat, voluntatem sic esse liberam, ut vel malum tantummodo velle cogeretur: *Si*, inquit, *respondere, sic fieri post baptismam liberam voluntatem ut & peccare & non peccare possit, hoc ipso pronuntiationis liberam arbitrium non fuisse, cum utrumque non poterat, pro ipsam habens cogi & utrumque non posse*. Itaque male vocari coactionem ad bonum, quando malum velle non potest. Declarat idem Augustinus, quia qui cogitur, non vult, & quid absurdum quam ut dicatur nolens velle quod bonum est? Unde ipse Iulianus interpretis sui factus coactionem necessitatemque conparavit, cum dixit: esse possibilitatem illam experientem cogentis necessitatis, utpote, qua in suo iure habet, utram suggerentia partem sequatur. In hoc enim libertatem illam arbitrij essentialiter collocarunt unanimiter Pelagiani, quod homo habeat, ut ipsi loqui subinde solent, ut suo iure, in suaque potestate, utramlibet partem secui, & nemine in alteram impellente necessitatis alicujus impulsu, maneat voluntaria, sui iuris, non necessitate devincta, sed iudicio libera electio boni aut mali.

Lib. 1. fol. 153. & 154.

Lib. 1. ad Bonif. c. 2. Lib. 2. fol. 30.

Lib. 1. operis imperf. fol. 151.

152.

Loco supra citato.

In libertate arbitrij imago Dei, ideo inamissibilis. Quædam de naturali possibilitate boni.

CAPVT SECVNDVM.

Epist. ad Demetr.

NEQVÈ vero mirum cuiquam videatur Pelagianos ita de arbitrij libertate decernere; in hac enim indifferentia ad eligendum bonum aut malum imaginis illius rationem ad quam homo conditus est, & humanæ conditionis decus supra cætera animantia constitutum putant. Pelagius non obscure præfert: *In hoc gemini iuneris discrimine, in hac utriusque libertate, rationalis anime decus positum est. Hinc, inquam, totus nature honor consistit, hinc dignitas, hinc denique optime quique laudem merentur, hinc premium*. Nec aliud sane voluit Iulianus, cum ad asstruendam illam boni malique libertatem quasi rationem ex ipsa hominis

conditione petens, addidit: *Factum est enim animal rationale mortale, capax, virtutis & vitii. Sed clarius longe alibi: Secundum (gratiæ munus) quod ut viventibus sensu ut sentientibus ratione præstatum, que impressa est anima, ut conditoris imago diceretur. Ad cuius aque respici dignitatem arbitrij concessa libertas*.

Fol. lib. 1. operis imperf. fol. 118.

Fol. 138.

Cum igitur sui conditoris imaginem nullo conatu sive hominis ipsius sive dæmonis deleri ex homine posse cum Catholicis faterentur, ex hoc fonte fluxit quod istam iam descriptam hominis conditi libertatem seu naturalem possibilitatem boni quam acceperat nullo peccato amitti posse, sed sub quibuscumque tandem delictis delictorumque consuetu-

consuetudinibus integram perseverare con-
tenderent. Audite hoc identidem inculcan-
tem Iulianum : Nos dicimus liberum arbitrium
in omnibus esse naturaliter, nec Ada peccato perire
potuisse. Quod scripturarum omnium auctoritate fir-
matur. Quæ erat omnium Pelagianorum in-
vidiosissimis vocibus frequentata cantilena.
Vnde gravissimè Augustino & Ecclesiæ Ca-
tholicæ tanquam Manichæorum tinctis fu-
ligine exprobrabant, quod liberum arbitrium
præmi hominis peccato perijisse confirma-
rent. Vt eodem libro : Dicunt illi Manichæi,
quibus modo non communicamus, id est toti illi cum
quibus dissentimus, quia præmi hominis peccato, id
est, Adæ, liberum arbitrium perierit. Et petulan-
tius alibi : Non parum hic innotati sumus, ut
ostenderemus, certissimè esse quod dixeram, quia
negant liberum arbitrium homines, qui vestro sus-
sensu sermone deterriti, & in verum exitum vanâ
formidine traderentur, itaque esse præcipuum arbi-
trij liberi negatorem. Quo opprobrio non idcir-
co Catholicam Ecclesiam ejusque defenso-
rem strenuissimum Augustinum aspergebant,
quod dicerent putarentve, facultatem illam
quæ liberum arbitrium nuncupatur ex hu-
mana natura peccato perijisse, sed quod
possibilitatem illam naturalem boni, seu
illam indifferentiam ac libertatem ad bo-
num ac malum, quam ei Pelagiani ut vi-
dimus essentialem esse statuebant, sublata
crederent ac docerent. Contra istam Ca-
tholicorum opinionem clamabat Iulianus,
Deum iustum, sive ante peccatum Adæ, sive
post, ad bonum opus liberum hominem condi-
disse; & ne quid scrupuli subesset quid sibi
vellet illa libertas conditionis, adjicit: Et
esse in uniuscujusque potestate recedere à malo ac stu-
dijs splendere virtutis. Et iterum alibi: Libe-
rum autem arbitrium & post peccata tam plenum
est quam fuit ante peccata. Multò fortius & cla-
rius: Nos dicimus peccato hominis non natura sta-
tum mutari, quasi aliquid in ipsa liberi arbi-
trij natura internique ac naturalibus doti-
bus mutaretur, sed meriti qualitatem, nempe
ut fiat ex iusto injustum, & ut naturalem
illam boni malique possibilitatem atque in-
differentiam salvam illæsamque esse intelli-
geremus, seipsum exponit: id est, & in pec-
cante hanc esse liberi arbitrij naturam, per quam po-
test a peccato desinere (recte vivendo) qua sicut
in eo ut possit à iustitia deviare. Hinc est quod
vociferabatur nullum malum quo arbitrium
esset vitiatum, homini esse congenitum. Hinc
inculcabat non aliter redâi posse libertatem
arbitrij si peccato fuisset læsum, nisi reddita
illa possibilitate ad bonum, quæ est ad ma-
lum. Si, inquit, Adam præter voluntatis opus,
ipsius natura instituta subverterat, per Christi gra-
tiam liberum baptizatis esse reddendum arbitrium
ut per correctionem nature expulsa lege peccati tam
possibile confiteremur esse mortalibus nuere splendore
virtutum, quam sordibus horrere vitiorum. Quæ
verba magna ex parte ex magistro Pelagio
mutuatus est Iulianus. Tradidit enim Pe-

lagius hanc doctrinam tanquam dogmati
universo præcipuam & capitalem: Habemus,
inquietabat, possibilitatem utriusque partis à Deo
instam, velut quandam ut ita dicam radicem fru-
ctiferam atque fecundam, quæ ex voluntate homi-
nis, (solo scilicet nutu ejus) diver(a)gnaat &
pariat, & quæ possit ad proprium cultoris arbitrium
vel nuere flore virtutum, vel sentibus horrere vi-
tiorum. Quare ut omnem Christianæ gratiæ
necessitatem funditus tolleret, illam natura-
lem bene vivendi sive non peccandi possibi-
litatem quæ homini in sua conditione per-
inde ut delinquenti concessa fuerat, aut rri
peccato nullo modo potuisse commensus est:
Dicimus, inquit, cuiusque rei possibilitatem non
tam in arbitrij humani potestate, quam in natura
necessitate consistere. Quam sententiam cum
naturalium sensuum visus auditusque exem-
plo probavisset, simili ergo modo ait, de non
peccandi, hoc est bene vivendi possibilitate in-
telligendum est: quod non peccare nostrum sit, posse
vero non peccare non nostrum. Quia vcto posse non
peccare nostrum non est, etsi voluerimus non posse
non peccare, non possumus non posse non peccare.
Hoc est ut planius exprimit Augustinus, seu
velimus seu nolimus possumus non peccare. Quia, ad-
dit Pelagius, nulla admodum voluntas potest, quod
inseparabiliter iustum probatur esse natura. En-
sensum Pelagij dilucidis verbis expressum:
quod illa naturalis non peccandi possibilitas,
sive illa possibilitas bene vivendi per liberum
arbitrium, quam sicut & male vivendi ho-
mini Deus in ortu suo contulerat, nulla adi-
mi posset voluntate, quia inseparabiliter hu-
manæ nature cohereret. Quam suam sen-
tentiam ut planissime caperemus alijs verbis
in opere suo postremo quod ad Pontificem
Innocentium de libero arbitrio quatuor li-
bris comprehensum suæ purgationis ergo de-
stinaverat, luculentè consignavit; Liberum,
mibi est, nec voluntatem bonam habere, nec
actionem, nullo autem modo possum non habere
possibilitatem boni. Inest mihi etiam si noluerò,
nec otium sus aliquando in hoc natura recipit.
Vides hanc possibilitatem bonæ voluntatis
& actionis naturalem, ideoque inseparabi-
lem statui. Neque mirum profecto. Nam hoc
est quod Pelagium supra dixisse diximus:
Quod volens Deus rationabilem creaturam volun-
tarij boni munere & liberi arbitrij potestate
donare, utriusque partis possibilitatem homini inse-
rendo, proprium enim fecit esse quod velit, ut boni
& mali capax naturaliter utrumque posset. Et
quod utrumque nos posse voluit operum creator,
Et unum liberum est, cum semper utrumque possumus.
Si enim naturaliter utrumque possumus,
certe naturalis erit possibilitas boni, natu-
ralis erit possibilitas bonæ voluntatis atque
actionis; naturalis erit possibilitas non pec-
candi, qua nihil aliud quam bene agendi
possibilitatem, seu bonæ voluntatis atque
actionis significari, & jam supra monstra-
vimus, & hoc ipso quem versamus loco Pe-
lagius suggerit. Quod enim bonam volun-
tatem

Lib. 1. ad Bonif. c. 15.

i. 2.

Lib. 1. operis imperf. cont. Jul. f. 164.

Lib. 2. operis imperf. cont. Jul. f. 215.

Lib. 1. f. 131.

Ibid. f. 141.

Lib. 1. Oper. imperf. cont. Jul. fol. 166.

Lib. 2. fol. 292.

Pelag. lib. 1. de lib. arbit. apud Aug. lib. de grat. Christi. 18.

Lib. de natura & grat. c. 45.

Ibid. c. 48.

Ibid. c. 49.

Ibid. c. 50.

Lib. de grat. Christi. 4.

Epist. ad Demetr.

Infra ibid.



tatem atque actionem nominaverat, mox eodem loco non peccandi possibilitatem, dicit: *Cum dicimus hominem esse sine peccato, confessione possibilitatis acceptæ, laudamus Deum qui nobis hoc posse largitus est.* Ex quibus omnibus manifestum esse arbitror, quanto conatu Pelagiani naturalem illam boni malique capacitatem ac possibilitatem sive indifferentiam ad bonum ac malum, in qua liberum arbitrium conditum fuerat, stabilire etiam post hominis lapsum, tuerique niterentur: ut si illam internam liberæ facultatis integritatem illam perditam defendi posset salus hominis non minus post peccatum quam ante à flexu voluntatis humanæ & volendi fonte, ut Prosper loquitur, suspenderetur. Hoc est enim quod Pelagius velut errorem impogit Augustino, quasi docuisset: *Sic hominem saluum, ut de iustitia quidem posset in peccatum ire & de peccato ad iustitiam (eadem illâ libertate) redire non posset.* Hoc est quod dici volebant negantesque vehementer arguebant: Ex vi liberi arbitrij, tam possibile esse mortalibus nitere splendore virtutum quam soribus horrere vitiorum. Hoc est quod uno ore omnes consonabant: *Liberum arbitrium & post peccata tam plenum est quam fuit ante peccata.* Huc omnes illas scripturas magno studio congregabant, quæ possibilitatis illius naturalis sive libertatis flexum ad bonum exigebant, & flexumque arguebant: *Aur facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum.* Et iterum: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et: *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina pullos suos sub alas, & noluisti.* Et: *Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terra comedetis; si nolueritis & non audieritis, gladius vos comedet.* Et: *Deus ab initio constituit hominem & reli-*

Apud Aug. lib. de grat. Christi. 4.

Lib. de ingr. c. 6. Lib. de nat. & grat. c. 23.

Lib. 2. oper. imperf. f. 292.

Lib. 1. oper. imperf. cont. Jul. fol. 131.

Ibid. f. 133.

Ibid. & lib. 4. ad Bonif. c. 2.

quit enim in manu consilij sui. Per quas & similes Scripturas illam boni possibilitatem, quæ conveniebatur, vel integram perstitisse colligebant, vel stolidè ab exhortante, jubenteque conveniri. *Eccè,* inquit Pelagius, *ubi velle videmus & nolle eligere & resistere, ubi non vis natura, hoc est determinatio aliqua quasi naturalis ad alteram sive boni sive mali partem ad quam arbitrium est indifferens, sed libertas intelligitur voluntatis.*

Lib. de prof. inf. c. 19. Et Pelag. Epist. ad Demet.

Ibid. infra

Neque vero hæc solum de causa inamissibilem illam boni malique potestatem attruebant, quod eam ad primigeniam naturam humanæ dignitatem, qua natura rationalis est, spectare crederent, sed etiam quod alioquin nulla esse possent vel bona vel mala merita; neque iustitiæ divinæ æquitatem defendi posse judicarent: *Hinc,* inquit Pelagius, *etiam quique laudem merentur, hinc præmium. Nec esset omnino virtus ulla in bono perseverantis, si is ad malum transire non potuisset.* Et quod superius allegavimus ex Iuliano: *Tota ergo divini plenitudo iudicij tam unctum habet negotium cum hac libertate hominum, videlicet cum ista indifferentia contrarietatis ad bonum & malum, ut harum qui unam agnoverit, ambas noverit. Sic igitur & libertas humani custodiatur arbitrij, videlicet ad bonum & malum, quemadmodum divina æquitas custodit. Unde sit ut harum unam qui violaverit, ambas violet &c.* Hinc omnem præcepti æquitatem tolli penitus credebant, omnem auferri exhortationis instantiam, nisi esset in homine talis arbitrij indifferentia ad bonum & malum. Qua de re alibi plura dicturi sumus, quando causas propalabimus, cur Dei gratiam, quæ liberat arbitrium nostrum & facit nos operari bonum, tanto horrore averfarentur.

Epist. ad Demetriad.

Lib. 1. oper. imperf. f. 120.

De viribus liberi arbitrij quibus omnes motus animi bonos ac malos compesceret suo nutu, & moderaretur.

CAPVT TERTIVM.

IAM de viribus concreatæ libertatis videamus. Quæ quoniam, ut supra vidimus, eadem est in omnibus hominibus sive stantibus sive lapsis in sensu Pelagianorum, quidquid de unis dictum fuerit, idem omnino de alteris intelligendum est. Nullum enim in ijs quæ hominis naturam atque imaginem Dei naturalem spectant discrimen agnoscunt. Sentiebant ergo Pelagiani uno omnes consensu, tantas esse vires in hac naturali libertate, bonique ac mali possibilitate constitutas, ut quæcunque tandem à rebus sive extrinsecus irruentibus, sive intrinsecus se commoventibus vel cogitationes phantasique

moverentur vel animi desideria motusque cie-
rentur, quidquid tandem sive homines sive Angeli sive Dæmones, adeoque Spiritus ipse Sanctus suaderet atque suggereret, quicumque vel pietatis vel iniquitatis motus inciderent, quibuscunque passionum bonarum anris animus propelleretur vel malorum fluctibus procellisque turbaretur, nihil de suo imperij principatu domina illa libertas amitteret; sed plenissima discernendi potestate penes vim rationis ac voluntatis permanente, sola fieret ad malum bonumque suasio ac provocatio, nutus verò probandi vel improbandi, utendi & repellendi, in illa naturalis indifferentiæ libertate ac